Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26241
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Flecto genua mea ad patrem
domini nostri Ihesu Christi ex quo omnis
paternitas in celo et in terra
nominatur ut det vobis secundum divitias glorie
sue virtute corroborari per spiritum in interiorem
hominem habitare Christum per fidem in cordibus nostris.
In caritate radicati et fundati ut pos-
sitis comprehendere cum omnibus sanctis que sit
latitudo longitudo et sublimitas et profun-
dum. Scire etiam supereminentem scientie carita-
tem Christi ut impleamini in omnem plenitu-
dine dei. Magnus doctor gentium et predicator
veritatis divino repletus spiritu tamquam vas
electum et sanctificatum in hoc verbo aperit sacre
scripture que theologia dicitur ortum progressum
et statum. Insinuans ortum scripture attendi
secundum influentiam beatissime trinitatis. Progres-
sum autem secundum exigentiam humane capacitatis
Statum vero sive fructum secundum superhabundanti-
am superplenissime felicitatis. Ortus namque
non est per humanam investigationem sed per divinam
revelationem que fluit a patre luminum ex quo
omnis paternitas in celo et in terra nominatur.
A quo per filium eius dominum nostrum Ihesum Christum manat in nos
spiritus sanctus. Per spiritum sanctum dividentem et distribuentem do-
na singulis sicut vult datur fides et per fidem habitat
Christus in cordibus nostris. Hec est noticia Ihesu Christi ex qua
originaliter manat firmitas et intelligentia sa-
cre scripture. Unde impossibile est quod aliquis ingrediatur in ipsam ad eam
agnoscendam nisi prius Christi fidem habeat infusam tamquam
totius sacre scripture lucernam et ianuam et etiam funda-
mentum. Est enim ipsa fides omnium supernaturalium illu-
minationum quamdiu peregrinamur a domino et funda-
mentum stabiliens et lucerna dirigens et ianua in-
troducens. Secundum eam etiam mensuranda est mensura sa-
pientie nobis divinitus date ne quis sapiat plus quam
oportet sapere sed ad sobrietatem et unicuique sicut
deus divisit mensuram fidei. Mediante igitur hac
fide datur noticia nobis sacre scripture per influentiam
trinitatis beate ut expresse insinuat apostolus in prima
parte auctoritatis. Progressus autem sacre scripture non
est coartatus ad leges ratiocinationum diffinitio-
num et divisionum iuxta morem aliarum scientiarum et non est co-
artatus ad partem universitatis sed potius cum per lumen
supernaturale procedat ad dandam homini viatori no-
ticiam rerum sufficientem secundum quod expedit ei ad salu-
tem partim per plana verba partim per mistica de-
scribit totius universi continentiam quasi quandam summam

Prologus.

in qua attenditur latitudo. Describit decursum in quo
attenditur longitudo. Describit excellentiam fina-
liter salvandorum in quo attenditur sublimitas. De-
scribit miseriam damnatorum in qua consistit pro-
funditas non solum ipsius universi verum etiam divini iu-
dicii et sic describit totum universum. Quantum expedit habere
de ipso noticiam ad salutem secundum ipsius latitudinem longi-
tudinem altitudinem et profundum. Habens et ipsa in suo
processu hec quatuor prout posterius declarabitur. Hoc sic ex-
igebat conditio capacitatis humane que magna
et mira nata est magnifice et multipliciter capere tamquam
quoddam speculum nobilissimum in qua nata est describi
non solum naturalium verum etiam supernaturalium rerum universitas mun-
danarum ut sic processus sacre scripture attendatur secundum
exigentiam capacitatis humane. Status autem sive
fructus scripture non est quicumque sed plenitudo fe-
licitatis eterne. Nam hec scriptura in qua sunt verba vite eterne
que ideo scripta est non solum ut credamus verum etiam ut
vitam possideamus eternam. In qua quidem videbimus
et amabimus et universaliter desideria nostra implebuntur quibus
impletis vere tunc sciemus supereminentem scientie caritatem
et ita implebimur in omnem plenitudinem dei.
Ad quam quidem plenitudinem conatur nos divina
introducere scriptura iuxta predictam sententiam apostoli veritatem.
Hoc igitur fine hac intentione sacra scriptura perscruta-
da est docenda est et audienda. Et ut ad istum fructum
et terminum recto perveniamus progressu per viam scrip-
turarum scripturarum inchoandum est ab exordio.
Hoc est ut cum mera fide ad patrem luminum ac-
cedamus flectendo genua cordis nostri ut ipse
per filium suum in spiritu sancto det nobis veram noticiam Ihesu
Christi et cum noticia amorem ipsius ut sic ipsum cog-
noscentes et amantes et tamquam in fide solidati
et in caritate radicati possimus ipsius scripture nosce-
re latitudinem longitudinem altitudinem et profundum et per hanc no-
ticiam pervenire ad plenissimam noticiam et excessi-
vum amorem beatissime trinitatis. Quo sanctorum de-
sideria tendunt et quo est status et complementum omnis
veri et boni. De latitudine sacre scripture.

Huius sacre scripture fine concepto et
intento et principio credito et invocato
videndum est progressus quantum ad ipsius latitudinem lati-
longi. sublimitatem et profundum secundum viam et ordinem
apostoli documenti. Consistit autem ipsius latitudo
in multitudine suarum partium. Longitudo vero in
descriptione temporum et etatum. Altitudo in descriptio-
ne yerarchyarum gradatim ordinatarum. Pro-
funditas in multitudine misticorum sensuum

405